



ADMODVM REVER. IN CHRISTO PATRI

F. NICOLAO MAGDALENO CAPIFERREO

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO

Cœnobij Viterbiensis Diuæ Mariæ ad Gradus Ordinis Prædicatorum Priori Meritissimo.





F. MICHAEL RAINVTIVS FOELICITATEM.


PRODIT *è luctu in lucem, ex atro doloris amictù in splendorem nominis Magdalenij atrata haec, ac inter ipsas exequias nata oratio. Lucem quidem illa refugiebat inter ipsas funeris tenebras orta, eodemq; cum fratre tuo sepulcro obrui cupiebat, ne diutius quam ille viueret, è cuius funere vitam hauserat. Euicit tamen singulare meum in te, ac Fratrem tuum stu-*

dium, ipsoq; authore reclamante, ac tumultuarium aliquot horarum opus esse causante, eam sub tuo nomine emisi, vt quam prius à fratre tuo lucem accepit, à te deinceps sit habitura. Ea est enim vel virtutum tuarum, vel familiæ tuæ claritas, Nicolae Magdalene, ea praclarissimarum laudum ornamenta, & argumenta, vt solo Magdalenorum nomine se tegere possit, ac tueri. Et sanè, quæ ad sepulcrum fratris tui vitam accepit, nunquam sub nomine tuo mortem pertimescet. Habebis igitur Nicolae Magdalene pignus hoc qualecumq; meæ in te, ac nomen tuum obseruantiæ, cui quidem ita me ab ineunte ætate addixi, vt ne in mœsto quidem ac lugubre argumento testandi amoris mei occasionem omittendam putarim. atq; vtinam deinceps in lato possim, quod in mœsto, ac lugubri amor coegit: profecto intelliges quantum tua causa velim, qui ipsum doloris argumentum in argumentum amoris rapuerim. Vale.

Datum Tiberni die 1. Settembris 1632.

ORATIO





ORATIO.

ACerbum, ac luctuosum FRANCISCI MAGOALENI religiosissimi viri interitũ existimarẽ, Auditores, si pręter corpus, quod solum in eo mortale fuit, quicquam extinctum occubuisset; siq; vno eodemq; sepulcro immortalis eius fama vnà cum corpore obruta esset: flerem, & iustas lachrimas darem, si quicquam in tanto viro deflendum esset, in quo nihil vnquam lachrimandum, aut lamentandum, vel prior reperit ętas, vel reperiet posteritas, nisi hoc forsan, quod nõ licuerit etiam posteritati tanto viro frui, qui semper mortalibus linquendus erat, nisi esset ipse mortalis. mortalis quidem, quia ea natus conditione, sed mutauit ipse iura naturę, & quam illa negauerat immortalitatem, ipse sibi virtutibus peperit. Debet ergo naturę, nihil, nisi quod mortalis natus est; debet virtuti suę, quod im-

mortalis effectus, ne in morte quidem quicquã amiserit nisi mortalitatem, nisi terram, nisi terrenas exuuias; si tamẽ de terra quicquã habuit, qui terram omnem iamdudum exuerat. vtinam parem immortalibus meritis prçconem nactus famam suam fruendam prçberet, quam dum sẽper suppressit, dum eodẽ sepulcro obrui voluit, effecit, vt nunquam ipsa sepulcrum sit habitura: viuet tamen etiam in sepulcro Francisci fama, sẽperq; Francisci nomen non tam sepulcrali in lapide incisum legetur, quàm perpetua famç buccina super ipso sepulcro personabit; quid enim Deus immortalis! an vnquam extingui poterit tantum sapientiæ lumen? an vnquam obliuione obrui tantum sanctimoniæ exẽplar? an vnquam occidere tantum doctrinæ oraculum, in quo nihil vnquam obscurius fuit, quàm summa generis claritas, nihil ignotius, quàm summa nobilitas, nihil magis contemnendum, quàm summi honores; nihil minus suspiciendum, quã prestantissimæ naturæ dotes, cũ omnia ipse vna virtute obruerit, atque obscurauerit. fçlix Franciscus, in cuius laudibus ne locũ quidem sunt habitura, quç in alio quolibet speciosissima essent: fçlix, in cuius laudibus ne memoranda quidem sunt, aut familiæ splendor, aut auita maiorum

glo-

 3200. 290

gloria, aut ſtemmata Magdalenorum, aut ducta ab Vrſinis proſapia, aut indoles ſuauisſima, aut prçclarisſima ornamēta naturæ. ſola virtus Franciſco immortalitatem augurabitur, çternumq; excitabit Mauſoleum etiā in anguſto ſepulcro; in quo nihil leget ſera poſteritas, niſi monimenta virtutis.

Iam adoleſcens, cum acerrimis virtutum ſtimulis vrgeretur, è clarisſimæ familiæ ſplendore in Dominicanum candorem translatus oſtendit quantum Dominici niues vel ipſis purpuris præſtent. Nihil illo vel ad pietatem ardentius, vel ad modeſtiam demisſius, vel ad ſanctitatem religioſius, vel ad diſciplinam exactius. Docebat non diſcebat virtutem etiā num Tyro; nec erat illud rudimentum aut tyrocinium: nunquā enim rudem virtutem, nunquam tyronem animum geſsit Franciſcus, in quo prçter ætatem, nihil vnquā fuit non maturum, atq; perfectum. in tyrocinio veteranus, inter rudimenta rude donatus, ante militiam emeritus, ante probationem probatisſimus.

At hec ſunt præludia rerum magnarum.

Vix adoleſcentulus Diuinis, humaniſq; litteris operam dederat, cum prius pene doctor, quàm diſcipulus eas ipſas litteras publicè tanta

cum

cum laude professus est, vt nihil in summo philosopho, prestantiq; Theologo, preter ætatē, deesset. atque hoc ipsum magis mirandum est, solam ætatem tardam fuisse in Francisco, cum cętera omnia properarent, atq; confluerent; & cum nondum, per ętatem sacris initiari liceret sacras tamen litteras, ac Thomam suum publice prælegisse.

Impleuit, & summi oratoris munus sacris ad populum concionibus habendis, meritoq; magistri insignibus decoratus est, qui nullam non partem sapientissimi, doctissimiq; viri expleuit, nimirum præstantium ingeniorum est, quamcumq; in partē se vertant, summum decus referre, quare si ad populum orandū erat, nihil illo eloquentius; si disceptandum in scholis, nihil ingeniosius; si honores gerendi, nihil modestius; si prouincia administranda, nihil vigilantius; si religiosi viri partes omnes explendæ, nihil vnquam sanctius, ac religiosius. nullum igitur munus, nullam dignitatem effugere potuit, qui nullam non præclarissimè gessit. nunquam tibi licuit vacare Francisce Magdalene, cum tua virtus aliam ex alia dignitatem ingereret, teq; in publicam lucem euocaret. nunquam tibi licuit vacare, quem modò sacri indicis Congreg. a se-

cretis

cretis vidimus Pauli Pontificis iussu, modo Grę-cę iuuentutis moderatorē, modò instituto ē Tyronum, modò præclarissimi illius D. Mariæ super Mineruā Cœnobij patrem, rectoremq; meritissimū; ne non omnia in Domo Palladis, atq; Mineruæ munia obires, qui Palladem semper, atq; Mineruam amicissimam habuisti. pręfecit te domui suæ Minerua, vt si vnquā, tunc maximè Mineruæ domus esset, cui tu tamquam alter Apollo pręesses.

Nunquam tibi licuit vacare Francisce, quem publica, quem priuata munia ad se trahebant; quem Vrbanus Pontifex in Pręsulum numerum cooptauit; cui non semel Prouincia data est, vt Prouinciam administrares vniuersam, quasi vastum illud Mineruę Domicilium angustū esset tantæ virtuti. Angustū profectò, auditores, angustum Francisco Magdaleno fuit munus illud amplissimum, totaq; Prouincię moles, quam quanta cum laude gesserit, vel illud argumento est, quòd Vrbani Pontificis iussu illi prorogatū est imperium, quasi vnus tanto muneri gerendo esset aptissimus. nihil illo vnquam vrbanius, nihil in subiectos benignius, in se solum asper, ac rigidus totam beneficentię venam cęteris seruauerat. Argumento sunt assidua penè ieiunia,

asſidua in carnem ſæuitia, dũ totis etiã quatuordecim annis carnis vſum,ac eſum ſibi omnino interdixiſſet.ſolemne ei erat ex Idibus Octobribus ad feſtũ vſq; Paſchę diem rigidum ſibi ieiunium indicere; nullumq; pene aut Chriſto ſeruatori, aut Deiparæ Virgini, aut cęlitibus cæteris ſacrũ diem,niſi premiſſo ieiunio celebrare, Idq; cibario tantũ pane,ac frigida contentus aqua peragebat. ergo inter asſiduos labores, molemq; curarum dum Prouinciam ſanctisſimè adminiſtraret, ac omnibus magis,quàm ſibi conſuleret, cui omni exceptione maior, ac hóſtibus etiam deflendus pridie Idus ſextiles maximo omnium luctu, ſenſuq; doloris exctintus eſt. Amiſimus, heù dolor, Amiſimus virum omnium ęxiſtimatione maximum, præterquam ſua; virum domi foriſq; clarisſimum, & nulla re minus Romanũ quám patria: virum,in quem natura, in quem fortuna contulit quęcumq; potuit, ſed ſola virtus, quæ, maxime voluit: virum in quo neſcias quid laudes, quid non laudes, qui ſummis Pontificibus caſus, Romæ ſuſpiciendus, atq; ipſa inuidia maior immortalem ſui memoriam poſteritati reliquit. Vtinam vobis, patres religioſisſimi, vtinam tibi clarisſima Magni Dominici familia pro dignitate gratulari poſſem, quæ
tales